

CONCIO III. AUCTARII.

ait, *Spiritus sanctus organum suum, et tamquam fila chordarum tangit digitus Dei corda sanctorum, qui ideo cum die pentecostes in apostolos plebemque credentium, sicut a Domino fuerat promissus, influeret, in specie linguarum apparuit ignearum, et loquelas omnium nationum eos, super quos insederat, fecit effari, ut nubium non esset per ipsius inspirationem utillem affectum rationabilemque sermonem animae fidelium ministrari.*

IV. Annuntiat Christianis plenarium et continuum jubileum, durans usque ad finem mundi. Solebat jubileum (quo omnia debito remittebantur, et unusquisque redibat ad possessionem suam, et servi dimittebantur) apud Hebreos tubae sonitu promulgari, et quidem septem bucinis seu bubulis cornibus, Jos. VI. § XIII. Bucina haec est sonus de celo factus, seu potius ventus sonitum illum edens, annum remissionis omnium peccatorum nuntians. Ventus scopulae est, dissipans ac dispellens nubes. Ita Spiritus sanctus per datam sacerdotibus potestatem absolvendi, delet peccata, juxta id Isaiae XLIV. *Delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua. Peccata quid nisi atræ nubes sunt et densæ nebulæ, auferentes nobis radios solis?* Eas delet Spiritus sanctus designatus etiam per illum ventum vehementissimum a Moyse impetratum, qui arreptam locustam projectit in mare rubrum; ita ut in eundem finibus ne una quidem remaneret, Exod. X. Quid locuste nisi peccata? Quid mare rubrum nisi sanguinis Christi? In eo Spiritus s. ubi quidem afflaverit, demergit omnia peccata, usque ad unum. «*Cum per gratiam suam, inquit S. Gregorius, in Reg. II. I. II. c. II. Spiritus s. electorum corda visitat, ob omni peccatorum immunditia potenter purgat, quia ut se menti infunderet, eam protinus in vitiorum odio, et in virtutum amorem ineffabiliter excitat: facit enim statim odisse, quod amabat, et quod odio habuerat, ardenter diligere, atque in utroque valde gemiscere, quia et mala quæ odit, se damnabiliter amasse recolit, et bona quæ diligit, odisse: quis enim audit dicere, licet omnimoda peccatorum sarcina prægravetur, quod perire posset aliquis visitatus gratia Spiritus sancti?*»

Ideo apposite die quinquagesimo post pascha missus, quia annus quinquagesimus jubileus erat. Hoc idem significavit Christus, quando insufflando in apostolos die resurrectionis sua dixit: *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, etc. Quantum vero hoc donum! Quanta sacerdotum potest!* Deus peccatori dicit: *Ego de libro vita te deleo;* sacerdos vero absolvens: *Ego te iterum inscribo.* Deus ait: *Ego te ad tartarum condemnabo;*

sacerdos: *Ego te in cœlum mitto.* Deus ait: *Ligate catenis peccatorem; sacerdos: Ego solvo eum. Deus: Occidite eum; sacerdos: Ego volo ut vivat.* Sie etiam consequenter remittuntur nobis debita, dimittimus a servitute dæmonis, redimus ad pristinam hæreditatem et possessionem gloriae. Sine vento putrescit aer, unde inficeretur atque inficeret homines. Ventus eum purgat. Unde Austria dicitur aut ventosa aut venenosa, idem nostræ civitati aliisque contingere, nisi beneficio absolutionis crebro expurgaretur. Viderint ergo, qui hoc vento rarissime purgant animum. Certe servum, qui in jubileo ut noluit privilegio libertatis, et vindicare se a servitute, sed adhærere magis domino suo, debebat herus ex lege applicare ad ostium domus sue, et aures ejus subula perforatas affigere ad ostium, in signum perpetuae servitutis, qua ei deinceps obstrictus esse debebat, Exod. XXI. et Deuter. XIV. Et hoc ignoramiam et poenam neglectæ libertatis, ait S. Thomas et Cajetanus. Ita nimurum, qui in vita negligit se redimere a servitute dæmonis per poenitentiam, nec vult audire sacerdotem inde se evocantem, affigetur a diabolo ad ostium domus sue, inferni scilicet, subula imponitente, quæ est peccatum in Spiritu sancto irremissibile: non sècùs ac bos mactandus illigatur ad macellum. Ibi serviet absque fine: *Servis tibi usque in æternum,* ait Dominus hero illi, Deut. XV. Nos ergo ne sic affigamur ad servitum dæmonis, queramus libertatem nostram beneficio poenitentiae. Dicamus id Cant. IV. *Veni auster, et perfla hortum meum. Veni Sancte Spiritus, et expelle e corde meo quidquid illud turbat, omnes atras nubes, ut in serenitate conscientiae tibi servientes, ad æternam serenitatem perveniamus.*

CONCIO III.

SACRAMENTI CONFIRMATIONIS FRUCTUS.

- I. Confirmatio facit militem Christianum. — II. Facit terribilem dæmonibus. — III. Facit servum Christi proprium et perpetuum. — IV. Perficit Christianum. — V. Facit regem regio animo præditum.

THEMA.

Paracitus autem Spiritus sanctus. Si vos docebit omnia. Joan. XIV.

Magnum hodie donum de cœlo Ecclesiæ collatum est, Spiritus s. videlicet, qui apostolos et primos Christianos simul congregatos numero centum et viginti, hodie perficit in fide et creavit doctores, effectit strenuos milites, terribiles dæmonibus, servos Dei perpetuos et peculiares,

IN FESTO PENTECOSTES.

in gratia ejus confirmatos, denique et reges. Sed fortasse dicet aliquis: Quid nobis istud afferit seu gaudii seu emolumenti, in quos Spiritus s. hoc modo non descendit? Esto, in nos visibiliter non descenderit; esto linguarum dominum non dederit; non deest tamen nobis etiam num illud donum. Descendit nimurum super nos ille idem Spiritus sanctus, licet invisibiliter in sacramento confirmationis, in quo etiam nobis eadem illa confert suo modo, quæ contulit hoc die in primos Christianos. Testatur hoc columba illa nive candidior, quæ S. Remigio episc. attulit de cœlo ampullam s. chrismatis ad confirmandum Clodovæum I. Galliæ regem christianum, teste Hinemaro archiepiscopo Rhemensi, in ejus vita. Quod nimurum ipsi visibiliter attulit columba, hoc nobis invisibiliter adfert Spiritus s. in confirmatione nostra. Quare videndum nunc, quid nobis conferat hoc donum et sacramentum.

I. Facit militem christianum et luctatorem, ut docet S. Augustinus, in sententiis, num. CCCXLII. Vita Christiani militia est. Unde Paulus Timotheo scribit: *Labora sicut bonus miles Christi,* II. Timoth. II. Pugnare illi opus est contra fidei persecutores et hæreticos, necnon contra peccata et tentationes: debet etiam profiteri fidem et servare Dei mandata. Ad hæc vires præstat sacramentum confirmationis; eoque spectant verba illa hodier. evangeli: *Si quis diligit me, servonem meum servabit; corde scilicet ore et opere.* Hostes fidei nostræ dupliki impedimento absterrebantur, ne eam amplecterentur; quæ et nobis objiciebant quedam difficilia credenda, et quedam facienda. Sapientes enim mundi utpote inflatos pudebat pro Deo adorare hominem, in stabulo natum, pàuperem, denique flagellatum, crucifixum, mortuum: rursum imitari ejus paupertatem, sectari humilitatem et patientiam, condonare injurias, diligere inimicos, crucem ferre, carnem edomare, etc. Hinc Christianos stultos indicabant, et a fide Christi ac sequela retrahere volebant. Christus igitur ut suos contra hos armaret, sacramentum hoc instituit, quo signaculum crucis fronte in eis imprimeretur, unaque gratia ad superandos hos pudores ac timores, ipsosque fidei adversarios daretur. Frons sedes pudoris est; ibi ergo cruce signatur Christianus, ut crux non erubescat, sed ea quasi gladio armatus in conspectum hostium prodire gestiat. Cur iter facientes gladio se armant? Nonne ut minus timeant, et se in periculis defendere queant? Sine confirmatione Christianus est miles sine gladio. Videtur hujus sacramenti figura fuisse aureus gladius, quem in visu dedit Jeremias Judæ Macchab. ad pugnandum pro lege et gente Hebreæ contra per-

sceutores gentiles, dicens: *Accipe sanctum gladium, munus a Deo, in quo dejicies adversarios populi mei Israel,* II. Macch. ult. Aureum hunc gladium et munus a Deo ad debellandos fidei et pietatis christianaæ hostes dat episcopus Christiano, dum eum confirmat. Per baptismum quidem militæ Christi adscribimur, et licet per unctionem, quæ in baptismo fit, gladio aliquo accingamur, nondum tamen vires et cor habemus ad illum evaginandum; quomodo Themistocles Atheniensium dux de Cretensium duce Theutide Orontho dicebat, se eum non timere; quia gladium quidem haberet ad jugulandum, non tamen cor ad evaginandum. Habemus fidem ex baptismo, sed nondum cor ad profundum ad danda publica pietatis exempla. Caurit hoc corde Novatus, quoniam sacramentum hoc non accepit, in persecutione negavit se esse presbyterum, et hæresis auctor factus est teste Eusebio, in historia Ecclesiæ. Similiter: «Tempore antichristi ait S. Vincentius, serm. II. dominica III. quadragesimæ, simpliciter baptizati et non confirmati cadent abnegando fidem Christi; confirmati vero stabunt firmi et stabiles contra antichristum, pugnando dicentes: Vade rabide, ego servo firmam fidem Christi.» Quod saltem de majori parte intelligendum videtur. Vicissim eo armatus S. Stephanus tam strenue pugnavit ac vicit tot adversarios suos; quando plenus Spiritu sancto: *Intendens in cœlum vidit gloriam Dei, et JESUM stantem a dextris Dei,* Act. VII. Sed si vidi Patrem et Filium, cur non vidi Spiritum s. Respondet S. Gregorius Nysseus, orat, de S. Stephano, quia secum illum habebat, una cum ipso e castello cordis ejus pugnantem. Pater se ei ostendit velut præmium et mercedem magnam nimis: Filius velut spectulum et exemplar pugnae: Spiritus s. in ipso et cum ipso pugnabat; unde plenus *Spiritu sancto* fuisse dicitur, Act. VII. Patet et in catholicis confirmatis, qui rarissime audiuntur a fide deficere; cum vicissim quotidie plurimi hæretici ad nostram fidem convertantur. Accedunt alii hostes, mundus, caro, dæmon, qui nos undique vexant ac fatigant; tres contra unum pugnant: et nisi induamur virtute ex alto, quomodo his resistemus? Quare huc aptissime referimus, quod in cœna Christus instantे sua captivitate inter insidias Judæorum dixit: *Qui non habet, vendat tunicam suam, et emat gladium,* Lyc. XXI. gladium Spiritus sancti, inquam.

II. Facit terribilem dæmonibus. Si enim signum crucis manu nostra formatum pellere eum potest, quanto magis in hoc sacramento manu episcopi fronti hostiæ impressum? Eo spectat quod in hodierno evangelio dicitur: *Venit princeps hujus mundi, et in me non habet*

quicquam. Pulchrum hujus rei typum habemus in Hebræis, in Ægypto adhuc hærentibus, qui postquam Dei monitu domum suarum superliminaria tinixerunt sanguine agni, percussor angelus a Deo missus ad percutienda Ægyptiorum primogenita, ædes eorum transiliit, nec cuiquam nocere potuit, Exod. XII. Rupertus eo loco sentit non improbabiliter percussorem illum fuisse malum angelum; quia dicitur Deum non permissurum ut noceret Judæis, quasi aliquoquin et his nociturus esset. Quod si sanguis agni in superliminari domus percutientem angelum arcuit, multo magis poterit hoc idem præstare signaculum crucis, Christi sanguine rutilans, fronti nostræ inscriptum. Senserunt hoc gentiles, eorumque sacrifici, ut scribit Prudentius, in apotheo. contra Judæos se puer contigisse, de quodam sacrificulo, qui præsente imp. Juliano victimas mactabat, et inspiciebat exta aliasque partes, inde deorum oracula cognituras; nihil tamen cognoscere poterat:

omnia turbata, deosque suos in fugam actos videns. Unde corruens in terram et exclamans ad imperatorem afferit aliquem Christianum balsamo unctum adesse, qui deos suos fuget, et conatus suos irritos faciat, illum proinde expellit jubeat: *Lotus procul absit et unctus*, inquit. Tunc et imperator posito diademate ait: *Quis est hic numinibus nostris contrarius, ac religionis christianæ socius, qui frontem chrismatis inscriptione signatam ferat?* Tunc unus de armigeris Augusti, in medio projectis armis, ait: *Ego sum, cuius Deus Christus est, etc.* Ejus nomen fugiunt dii vestri, etc. His obstupefactus imperator tremens reliquit templum dæmoniorum, et in palatium solus profugit, cæteris Deum Christianorum admirantibus ac laudantibus. Idem contigisse alii sacrificulis sepe scribit Lactantius, lib. IV. de vera penitentia, cap. XXVII. ideoque Christianos illos martyrio affectos. Recentius est, quod Thomas Cantipratanus, lib. II. apum, versu XXXVII. scribit de cæco bubulco; ut alibi retulimus.

III. Facit servum Christi proprium et perpetuum seu mancipium. Servi apud Hebræos septem annis liberi erant. Quod si dixerit servus: *Diligo dominum meum, non egrediar liber, offeret eum dominus diis (id est, judicibus) et applicabitur ad ostium et postes, perforabitque aurem ejus subula* (in signum, quod adversa quæque tolerare velit) *et erit illi servus in sæculum*, Exod. II. in sæculum, hoc est, usque ad annum jubilæi quinquagesimum. Hujusmodi servum, qui ex amore Christi perpetuæ ejus servituti se addicit, usque ad jubileum cœlestis gloriæ, facit confirmationem. Indicat enim confirmandus se amore Christi Domini, cui jam olim a baptismō servierit, nolle

ab eo separari, sed tota vita servire velle. Idecirco patietur sibi perforari aurem, hoc est, infligi alapam, et cruce signari frontem, ut demonstret se ad aspera et dura quævis tam pro ipso, quam ab ipso perferenda paratum esse: *pro modo et amore Judas pro fratre suo Benjamino in servum se perpetuum obtulit Josepho*, dicens: *Ego proprio servus tuus sim*, Exod. XLIV. quasi dicat: *Servus peculiaris et perpetuus*. Olim gentiles, et hodie Turcæ servos emptitios stigmata fronti inusto notant, ne facile possint ac velint fugere: utpote mox prodendi et retrahendi. Magna profecto dignitas et gratia est, talem esse servum Christi. Ut patet ex elogio sepulchrali Moysis: *Moyses servus Dei*, Deuter. XXXIV. Talis enim vix perire potest; quia si per peccatum aliquod forte aufergerit, retrahetur a suo Domino. Unde bene hoc sacramentum cum balsamo confertur, quia balsamum conservat etiam corpora mortua, ne omnino pereant ac putrescant. Et hue spectat, quod in hodierno evangelio dicit Dominus: *Si quis diligit me, ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus*, q. d. illum, qui Spiritu sancto confirmatus fuerit, in proprium nostrum hospitium deputabimus, sicut solent principes in itinere certa sibi hospitia diligere, et insignibus suis ornare: conclavi etiam suo inscribere nomen suum, ne quis facile intrare aut occupare id præsumat.

Exemplum habemus in juvene illo, quem Sanctus Joannes apostolus eidam Asiæ episcopo commendarat, qui ab eo confirmatus, cum tandem neglectus ab episcopo fugisset, et latronum socius, imo princeps evasisset, quæsusitus a Joanne et repertus, mox se in fugam dedit, postea tamen restitut, et in gremium Joannis rediit, tandemque præclarus Ecclesiæ minister factus est, apud Euseb. I. III. c. XVII. Mirum auditores! Cur enim inernem non cum sociis adortus est? Cur timidus apostoli faciem erubuit? Cur ad patrem supplex rediit? An quia sigillo confirmationis notatum se cognovit, Christi servum proprium et perpetuum esse, quem fugere non posset? An quia gratia confirmationis hoc in eo operata est? Certe oves signatae non facile perduntur; notantur illæ scissura in aure, vel cruce in dorso aut simili alia nota: Christiani signantur in fronte.

IV. Perficit Christianum in virum perfectum non quidem ita, ut ea accepta statim quis perfectus sit, sed quod in ea accipiat speciem et copiosam gratiam ad eam perfectionem obtinendam: quo modo studium theologie non statim theologum perfectum constituit, sed theologicæ perfectioni consequendæ addicit et adjuvat. EO spectat quod in hodierno evangelio di-

citur: *Cum venerit Paracletus, ille vos docebit omnia*: et Isa. LIV. Ponam universos filios tuos doctos a Domino. Ob hanc causam a Græcis appellatur perfectio. Unde S. Clemens in epist. ad Julianum et Julian. ait se a S. Petro audisse, neminem perfectum Christianum esse, qui hoc sacramentum ab episcopo non acceperit. S. Cyrillus Hierosol. cœth. III. asserit baptizatum nondum esse proprie dignum nomine christiani, ante susceptam confirmationem, sed eo tendere solum ut Christianus sit. Christianus enim a christmate seu unctione nomen habet, quæ in hoc conferuntur sacramenta. Alque hæc causa est, quod non a simplici sacerdote, sed ab episcopo solum administrari debeat. Quemadmodum enim studioso ultimam manum imponit professor theologiae, creando eum doctorem, reliquas leviores artes docent inferiores magistri: ita confirmatione quæ ad perfectionem dicit Christianum, non nisi ab episcopo confertur; alia pleraque sacramenta ab inferioribus sacerdotibus conferuntur. Hinc bene appellatur manus impositio. Professio Christiani requirit, ut studeat evitare peccata, ut servet omnia mandata, conetur etiam, quantum fieri potest, præstare plusquam præceptum est; ad hæc ut animam exornet virtutibus, adeoque sit intus ornatus sanctitate, et foris bono exemplo. Ad hoc autem gratia quadam peculiaris requiritur, sine qua homo quasi puer est, ad artes exercendas inhabilis: proinde periculo non caret hoc sacramento neglecto e vita discedere, ob perfectionis defectum, secundum Hugonem de S. Victore. Sicut non exiguum damnum est studia copta ad finem et coronidis impositionem non perducere.

V. Facit regem, dando ei regium animum. Solent reges oleo perungi, ut olim in veteri lege, ita et nunc in nova. Ad quid ergo unctio confirmati, nisi ut ipsum quoque regem efficiat, non quidem opibus et imperio externo, sed interno. Idecirco S. Petrus Christianos appellat regale sacerdotium: et Prudentius chrisma et unguentum confirmationis appellat regale apud Th. Boz. de sign. Eccl. lib. XXV. cap. III. et IV. ita ut quod interest inter reges et privatos homines, hoc intersit inter confirmatos et non confirmatos. Reges debent habere, et communiter habent cor latissimum, ut non moveantur facile seu prosperis seu adversis. Cujusmodi cor datum est primo Sauli regi post unctionem, I. Regum X. ubi dicitur: *Immutavit ei cor aliud*. Similiter ultra sapientiam et prudentiam Deus Salomon, III. Reg. *Dedit latitudinem cordis, sicut arenam maris*, ut videlicet imperterritus esset in omnibus difficultatibus, et ad omnia exequenda promptius. Hanc ergo multo magis confert Spiritus s. confirmato, ut tam in prosperis quam

in adversis magnanimum se exhibeat. Ita testatur Urbanus papa, de consecr. dist. V. c. Omnes. Cum Spiritus s. (in confirmatione) infunditur, cor fidele ad prudentiam et constantiam dilatatur: et S. Augustinus, tract. XCII. in Joan. ait de S. Petro: *Adhuc etiam tunc (post resurrectionem Christi) amor (Petri) ipse infirmus fuerat et angustus, donec eum roboraret et dilataret Spiritus sanctus*. Ab illo enim tempore nulla re amplius turbatus fuit, sed imperterritus stetit ac locutus est in publico et in media Jerosolyma, similiter ante tribunalia nullam sibi viam occludi ad evangelizandum passus. In hunc finem confirmatus alapam ab episcopo excipit, cum gaudio potius et risu, quam cum dolore aut indignatione, ut sciat omnes tribulationes pro Christo sibi contingentes æquo et hilari animo ferendas esse. EO spectat quod in hod. evang. dicitur: *Nonturbetur cor vestrum, neque formidet*. Et hoc est quod passim patres dicunt, per hoc sacramentum, Christianum fieri ex puer virum. Absque hoc sacramento baptizatus est velut puer, qui vel anseres sibilantes timet: eo suscepto in virum evadit.

Facit ergo confirmatione ambidextros, qualis erat Aod ille iudex et princeps Hebræorum, Iudic. III. Quales et requirit Paulus, II. Corinth. VI. *Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros per arma justitiae a dextris et a sinistris per gloriam et ignobilitem, per infamiam et bonam famam, etc.* Talis fuit ipse: *Scio et abundare, scio et penitram pati*, Phil. IV. Quod si hoc sacramentum facit viros, milites, dæmoni terribiles, servos Christi proprios ac peculiares, denique reges; nonne etiam conferet eis gloriam in cœlo maiorem ac coronam regiam? Quo enim vas grandius est, eo plus vini capit. Et viri plus mercedis accipiunt, quam pueri cum laborant. Idipsum igitur expectare confirmati in cœlo possunt.

CONCIO IV.

LINGUA REFORMATA A SPIRITU SANCTO.

- I. Sit ignea, et paritatis amans.—II. Sit innoxia neminem lœdens. —III. Sit humilis, non magniloqua. —IV. Sit sedata, gravis, matura. —V. Dispersitat se ad erudiendos alios. —VI. Depromat verba ex cerebro.

THEMA.

Aparuerunt illis dispersitæ linguae tamquam ignis.
Act. II.

Qui calamo exarant litteras, scribæ, cum attributum usu vel obtusum advertunt calamus suum, cultello adhibito reformare solent et aptarescriptioni. Lingua nobis a Deo data est velut calamus Spiritus s. qui inhabitat in nobis, eaque velut

calamo depromit, et in hominum cordibus quodam modo inserbit suam sapientiam. Id voluisse psalmistam, quando dixit, Ps. XLIV. *Lingua mea calamus scribae velociter scribentis*, sentit S. Basilius in eum psalmum commentans: *Sicut enim calamus instrumentum est delineandæ scripturaræ accommodum, ipsum manu viri periti promovente ad eorum, quæ scribenda sunt, characteres exprimendos sic et lingua justi, Spiritu s. eum movente, cordibus credentium verba inscribit vita æternæ: tincta quidem non atramento, sed Spiritu Dei viventis. Scriba igitur Spiritus s. quoniam sapiens est et omnes decens. Sic ille. Verum calamus iste per continuum usum, tot sœculis continuatum, admodum obtusus et mutilus factus est in hominibus, ut nil amplius eruditus, nihil culti scriberent, sed insulsa fere omnia, feida et inconcinna. Vedit igitur divinus ille scriba, Spiritus s. necessarium esse tandem reformare calatum istum, et ad meliores sermonum characteres efformandoshabilem et idoneum reddere. Quare in primis Christianorum demittere se voluit in forma linguae ignæ, eaque forma ostendere, qualis Christianorum lingua esse debeat, quod hic expendemus.*

I. Lingua hæc, quæ apparuit in capitibus fidelium, fuit tamquam ignis, ait. S. Lucas. Quis autem nescit ignem esse elementum, ut sublimissimum, ita omnium purissimum? Nihil impuritatis pati, sed potius purificare omnia impura? Itaque linguae fidelium abhorre debent ab omni impuritate, et quæ ab his sordide dicuntur, pro viribus emendare, et quodammodo exurere. Lamentatur Isaías, c. VI. in hæc verba: *Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum. Aliquam ergo impuritatem contraxerat in lingua. Sed ecce unus de Seraphim advolavit, et calculo seu pruna ignita tetigil ac purificavit linguam ejus. Dixit enim: Ecce tetigi hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur.* S. Ambrosius, lib. I. de Spiritu sancto, cap. IX. ait calculum illum ignitum, symbolum fuisse Spiritus sancti. Puram igitur linguam requirit Spiritus s. quia pruna candenti eam purificavit etiam in Isaia, qui non nisi veinaliter putatur inquinasse linguam suam. Calculus ille desumptus fuit ex altari thymiamatis, in quo non cremabantur nisi species aromaticæ optimi odoris; (unde et thuribulum appellatur, ad Hebr. IX) referent cor hominis christiani, a quo exulare debet omnis impuritas. S. Chrysostomus, in Ps. CXL. ait: *Quemadmodum oportet thuribulum nihil habere immundum, sed solum ignem et suffitum: ita etiam linguam nullum oportet proferre verbum, quod sit ulla macula aut labe respersum, sed sanctitatem et laudem.* Sit ergo os tuum thuribulum, vide au-

tem ne id flimo impleas. Tales enim sunt qui loquuntur verba turpia et immunda. Alibi idem sanctus ostendit ipsum dæmonem cum Deo loquentem servasse hoc decorum, ne inhonestum aliquod effutret verbum, quando dixit: « Carnes ejus (Jobi) tange, si in faciem benedicat tibi, id est, maledicat, (inquit hemi. IV. de patientia Jobi.) Etenim Scriptura benedictis maledicta velavit. Et quare hæc scripta sunt? Ut tu fidelis discas, cum alieni mali turpia narraveris, eadem verborum honestate velare, neque honestis turpibus operam præbens, turpum locutionem fugiens: propterea inquit apostolus (ad Ephes IV.) omne verbum turpe non exeat de ore vestro. » Sic Chrys. Quem apostoli locum sic legimus in vulgaritate: *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, ubi Græce habetur, omnis sermo putris aut corruptus, adeoque turpis, ut bene exponit Chrysost. Idem repetit apostolus ad Coloss. III. Deponite et vos omnia: iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro. Purissimum hominis membrum est lingua, quod omnem putredinem et foetorem respuit, omnem impuritatem expuit, v. g. pomum putridum, vel pilum unum cibo adhærentem: eocur igitur non similiter aversetur impuritatem, quæ adhæret ipsis verbis quæ pronuntiat? Discant hoc Christiani vel ab homine ethnico. Archytas namque Tarentinus, philosophus Pythagoricus: « Cum necessitas aliquando postularet, inquit Aelian. I. XIV. var. c. XIX. absurdius aliquid dicere, non profatus est, sed id quidem tacuit, inscrisit autem in pariete, monstrans quod dicendum erat, neque ut diceret, cogi potuit. » Viderint Christiani, qui turpia loquuntur, quam ab ethnico confundantur. Audiant etiam minantem sibi prophetam Isaiam, cap. XI. *Desolabit, inquit, Dominus linguam maris Egypti.* Quæ est lingua maris? Utique spurca et impura, quæ turpia verba evomit; sicut mare cadavera et omnes immunditias in se projectas ejicit, juxta id apostoli Judæ: *Fluctus ferimaris despumantes suas confusiones.**

II. Licet ignea foret, neminem tamen læsit aut adussit; sed innoxia prorsus, imo placida et blanda erat. Talis enim lingua Christianorum sit, cōsuet: ardeat charitate, splendeat prudenter, neminem vero urat, mordeat aut lœdat; cuiusmodi linguam habuere prius filii hujus sæculi, de quibus, Psal. LXVI. dicitur: *Filiæ hominum, dentes eorum arma et sagittæ, et tinguæ eorum gladius acutus.* Sanctus vero Jacobus, cap. III. linguam talium appellat ignem, sed urentem et cruciantem: *Lingua ignis est, etc. quæ maculat totum corpus, et inflamat rotum nativitatis nostræ, h. e. universum vitæ nostræ cursum, vel ut alii exponunt, orbem universum.* Nemo nescit

*quæcumque noceant ignes illi missiles, qui ab hostibus projiciuntur in obsessas civitates, et quæcumque incident, omnia inflammant, et incendia excitant, sieque demum obsessos ad deditiōnem compellunt. Hujusmodi ignem esse linguam maledicam, vult dicere Jacobus, quæ dum alios invadit et urit, ad iracundiam quoque provocat, ut similia vel atrociora verba in maledicium evomant, adeoque in peccatum et servitum dæmonis trahant, et e cœlo exturbent. Nihil enim sic mordet, (inquit S. Ambrosius, lib. II. de interpellatione Jobi) ut durior sermo. Multi cum vicerint adhuc tormenta, sermonum duritatem non sustinuerunt. Patet in Davide, qui continuas et gravissimas a Saule persecutions et injuries sustinuit patienter; maledicentiam fāmam Nabalis, qua servus fugitivus ab eo compellatus fuit, adeo ferre non potuit, ut totus irastuans jamjam se armaret ad perendum hominem cum omni sua familia, adeoque nisi uxor Nabal blandiloquio suo intervenisset, gravissimo peccasse obstricturus fuisset, I. Reg. XXV. Ubi Theodoreetus: *Qui in Säalem, inquit, tantam ostendit lenitatem et patientiam, Nabalem tamen tentat occidere, auditis convicis et contumeliis, quæst. LIV. in I. Reg. Bene igitur S. Augustinus, in epistola I. Joannis: Major est, ait, machæra lingua, quam ferri. Gladius enim corpus ferit, et in terram prostrernit: lingua vero maledica etiam animam ferit, et e cœlo sepe in infernum e gratia in peccatum exxit. Ignem domini nostræ diligenter custodimus et seculo loco reponimus, ne erumpat incendium. Non minori cura Deus ipse linguam velut arcem quamdam munivit, dentibus quasi muro, labiis quasi vallo; et eur hoc, nisi ut doceret nos attendere linguæ nostræ, ne cui facile noceat, et quasi ignis alios inflammet. Quo videtur spectare quod Ps. LXXII. dicitur: Posuerunt in cælum os suum, et lingua eorum transivit (Hebraice ussit) in terra, quasi dicat: Lingua maledicorum velut incendiarii terram inflamarunt. Verum illi seipso longe gravius sauriant, quam quos lingua sua feriunt, juxta id Psalmi LIII. Infirmata sunt contra nos lingua eorum, Chald. offendunt seipso lingua sua.**

III. Descendit de cœlo in terram, cum tamen esset ignea. Itaque contra naturam ignis, qui sublimè petit. Lingua veteris hominis ad instar ignis elementaris sublimia profert, ad sui exaltationem et magnificientiam loquitur: quo sensu intelligunt aliqui id Jacobi III. *Lingua modicum quem membrum est, et magna exaltat: Syrus verit, se extollit.* Didicerunt hoc filii hujus sæculi a magistro suo diabolo, qui alte nimis primus intonuit: *In altum concendam, supra astra Dei exaltabo solium meum,* Isaiae XIV. ideoquid ejec-

tus in abyssum est. Ex hac ejus schola prodierunt ex equo Trojano quam plurimi discipuli, dicentes: *Lingua nostram magnificabimus, labia nostra a nobis sunt: quis noster Dominus est?* Ps. XI. gloriòsos nimirum et jactabundi milites, quibus etiam se admisicut Phenenna illa conjux Eleazaræ, quæ suam intuens felicitatem et fœcunditatem, contempsit Annam consortem suam sterilem, et probis invasit, I. Regum I. Cui talem Anna in suo cantico præclarum documentum accinit: *Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes: recedant vetera de ore vestro (Septuaginta legunt: Non procedat magniloquentia de ore vestro) quia Deus scientiarum Dominus est, et ipsi præparantur cogitationes,* I. Regum II. q. d. Deus solus novit, quis magnus vel parvus, extollendus vel deprimendus sit. Id quod paulo post experta est Phenenna, cum vidi Annam multo fœcunditate et prosperitate divinitus collata florentem, se vero sterilem, et ut Hebrewi cum historia scholastica et aliis docent, filiorum suorum orbitate mulctatam, quo modo gallina, dum ovum a se positum cantilena sua prodit et quasi jactat, amittit, subtrahente id matrefamilias. Idem merito timerem possunt, qui supra alios se extollunt, et demittere linguam suam ad pauperes et humiles alloquo dignandos nolunt; ne aliquando eis subjiciantur, et praeterea etiam opem eorum invocare cogantur: uti contigit epuloni, qui Lazarum mendicantem nec responso sublevavit, postea in gehenna invocare coactus est. Idecirco sine dubio in lingua sua potissimum fuisse cruciatum sentit S. Augustinus, serm. CXXVII. de tempore: « Quia per eam superbe loquendo contempserat pauperem. Ipsa enim lingua, quæ noluerat dicere, ut eleemosyna pauperi daretur, gravius gehennæ flammis exuritur. » Similiter D. Chrysologus, serm. CXXII. « Si te, inquit, jam possidet totus ignis inferni, si te gehennæ flamma complectitur, quare solius linguæ aestibus desideras subveniri? Quia magis lingua uritur, quæ insultavit pauperi, quæ misericordiam denegavit. » Cogitent ergo magnates, fieri posse ut ipsi subjiciantur illis, quos alloqui jam despiciunt, vel non nisi turgide et contemptim affantur; scriptum est enim: *Disperdet Dominus universa labia dolosa, et linguam magniloquam,* Psalmo XI. Quare Christiani humilia de se loquuntur, non alta et magna, semper se accusent, servos se inutiles dicant, etc.

IV. Lingua illa sedet, ut ait Lueas, seu incubuit super apostolos, aliosque presentes Christianos. Quid vero ea sessio, nisi tranquillitatem, gravitatem et maturitatem sermonis apostolis a Spiritu sancto communicatam indicat? Talis ergo sit sermo Christianorum, Primo, sedatus